

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0142

0140

0146

0136

0151

0131

0191

0091

0241

0041

0641

131

qui protensa manu deorsum omnes nos ad se successive eduxit. Circuivimus ergo ambitum, et cellas superius et inferius vidimus de pulchris aedificiis, fuerat enim in tempore Christianorum monasterium monialium ordinis S. Benedicti. Ingressi autem ecclesiam, quae nunc est muschea, eam diligentius perspeximus, et notavimus, eam ecclesiam ornatam et pulchram fuisse, parietes enim depicti fuerant, sed Sarraceni picturas calce deleverunt et dealbaverunt, in pluribus tamen locis calx decidit, et iterum Christianorum picturae videntur. Porro historia conceptionis et nativitatis beatae Virginis Mariae fuit ibi depicta, quomodo Joachim propter sterilitatem de templo fuit repulsus, et quomodo cum suis pastoribus in deserto deguit, et quomodo ibi sibi angelus apparuit, et quomodo sub porta aurea in amplexus suae uxoris ruit, et quomodo Anna Mariam genuit. De illa pictura legi in quodam peregrinali, quod Sarraceni eam de Machometo suo exponant. Unde fuit quaedam vetula, habitans juxta illam ecclesiam sarracenicam, quae magnis **(B)** fletibus solebat hominibus exponere picturam de Machometi vita, et de ejus paradiso, et carnaliter omnia interpretabatur. Haec omnia cum vidissemus, de ecclesia exivimus dolentes, quod tam pulchra ecclesia et tam egregium monasterium in tam sanctissimo loco est in Sarracenororum usu.

Porro ante ecclesiam stat una arbor magna et antiquissima, quam dicunt fuisse plantatam a beatissima Virgine Maria, dum adhuc esset infantula, sub cura parentum, qui hic in hoc loco creduntur habitasse; licet enim Joachim et Anna multis annis deguerint in Nazareth, tamen quando beatissima Virgo Maria concipienda et parienda fuit, migraverunt ex instinctu Spiritus S. a Galilaea in Judaeam in Jerusalem, ut ibi dies suos clauderent in Dei servitio, juxta templum Domini, ignorantes, ad quantum mysterium Deus eos sine fructu servaret. Venientes autem a Nazareth in Jerusalem emerunt domum prope templum super piscinam probaticam, in qua concepta est et nata beata Virgo Maria, testante Damasceno, qui sic dicit; parturitur autem Virgo Maria in probatica Joachim domo, nam piscina probatica juxta est. Successu autem temporis aedificaverunt Christiani ad locum illius sanctae

g*

Ende

Anfang